

1487

C O D I C E S

1488

gatorio, Aqua lustrali, Exorcif-  
mis, et Imaginibus.

## CCCXCIX.

918 Codex chartaceus lat. Sec.  
XV. Folior. 188. 4. commode,  
non tamen ab una manu, per-  
scriptus continet: I. *Job. Wiclefi*  
Sermones in Evangelia de  
Tempore per circulum anni, duc-  
to a *Dom. 1. Adventus* initio,  
praefixoque Monito, quod inci-  
pit: *Cum deus undiquaque plenus*  
*abborret vacuum &c.* Dictionis  
primae in illud: *Cum appropin-*  
*quasset Iesus ierosolimis &c.*  
*Matth. 21.* exordium est: *Con-*  
*stat ex ewangelio, quod christus*  
*tribus vicibus aduenerit humanus*  
&c. Dictio ultima de Templi De-  
dicatione finitur: *ut in febre etbi-*  
*ca (hectica) est sua inanitio imper-*  
*cepta. Expliciunt ewangelia de*  
*tempore. Jo. Wy.* Vide Cod. an-  
teced.

II. fol. 169. *Hic ostenditur*  
*quo tempore dauid composuit quem-*  
*libet psalmum in psalterio et pro*  
*qua necessitate.* Tituli illi Psalmo-  
rum, qui Bibliis sub artis incu-  
nabula impressis additi reperiun-  
tur. Ita: *Beatus vir qui non.*  
*Istum psalmum fecit dauid quan-*  
*do constitutus fuit Rex in Beth-*  
*leem &c.* Sub finem eadem do-  
cetur Lector de aliis Canticis bi-  
blicis.

III. fol. 171. *De vita et mo-*  
*ribus phylzophorum veterum trac-*  
*tatus.* Poterat addi et *Poetarum.*  
Initium: *Multa que ab antiquis*  
*Auctoribus et diuersis libris de ip-*

*sorum gestis sparsim reperi in vnum*  
*colligere laboraui &c.* Libellus  
jam Sec. XV. plus vice simplici  
impressus, et in *Italicam, Gal-*  
*licam*que linguam immerito tra-  
ductus passim *Gualt. Burlejo An-*  
*glo* tribuitur, cuius nomen Codi-  
ci quondam *Gudiano* praefixum  
video apud *Fabric. Bibl. med.*  
*Lat. L. II. p. 307.* Confer etiam  
*Tanneri Bibl. Brit. Hib. p. 141.*  
Exemplum praefens abrumpitur  
in *Seneca*, ceterumque editis jam  
prolixius, jam concisus est. De  
editis dixi in *Memorab. Bibl. Ga-*  
*rell. P. I. p. 201.*

## CCCC.

Codex chartaceus lat. Sec. 879  
XV. Folior. 253. f. per duas co-  
lumnas in Bohemia, ut videtur,  
probe scriptus, et rubricis eno-  
tatus sequentia *Job. Wiclefi* Ope-  
ra continet: *Ista pars vocatur*  
*pars secunda sermonum*, seu, ut  
in membrana praevia: *Secunda*  
*pars wicleff super ewangelia vide-*  
*licet de sanctis.* Sermo I. de Na-  
tuitate Christi in illud: *Exiit*  
*edictum a cesare Augusto &c. Luc.*  
2. orditur: *Continuando sermo-*  
*nes sanctorum cum sermonibus do-*  
*minicis incipiendum videtur a festo*  
*sancti sanctorum &c.* Inde ordi-  
ne anni proceditur per *Sermones*  
LXI. quorum tamen multi sunt  
de Communi, ut vocant, Sanc-  
torum, usque ad *Sermones* in  
Commemoratione Fidelium De-  
functorum. Nulla facile praeter-  
mittitur occasio fugillandi Epi-  
scopos, Praelatos, Clerum be-  
neficiarium,

1489

## P O L E M I C I.

1490

neficiarium, Fratres Mendicantes. Sermonem de Populari suo *Thoma Cantuariensi* ita finit: *Nec est putandum, quod sanctus Thomas fecit optime, cum fecisset melius ac mandato Christi conformius videndo, quod occasione temporalium clerus in reti spinarum inuoluitur, renunciaffet his omnibus in manus seclarium dominorum. Nec tantum debet credi miraculis post mortem ejus nomine suo factis, cum dyabolus possit hec facere, sicut sanctitati vite sui superstitis et specialiter caritati feruide, quam habuit hora mortis. Nescio, an Baleus et Tannerus per Sermones in Evangelia Festiualia, vel per Commune Sanctorum nostros praesentes intelligant. Initia enim, quae adferunt, a nostro discrepant.*

II. fol. 128. Sermones alii XXIV. mixti, quorum I. in illud: *Caro mea vere est cibus* &c. *Job. 16.* incipit: *Hoc evangelium alludit fundacioni sanctissimi sacramenti eukaristie* &c. Horum sermonum illicio captus Librarius subscripsit: *Et vobis reuerende atque amande magister una cum vestris fidelibus benedicere dignetur in terris, qui sine fine viuit ac regnat omnipotenter in celis Amen.* Inter Sermones in Epistolas et Euangelia, quos indicant Bibliographi mox citati, hos etiam comprehendi putem.

III. fol. 186. p. 2. Tractatus VI. Capitibus constans, et incipiens: *Ut simplices sacerdotes Zelo animarum succensi habeant materiam predicandi notanda sunt*

6. *iuga secularis brachij que trahunt efficacius currum christi* &c. Juga, quae adpellat, diversa officia mutua intellige, puta Conjugum, Parentum et Prolium &c. Itaque Scriptum de *Sex Jugis* dici potest, quod apud praedictos *Baleum* et *Tannerum* non reperi.

IV. fol. 189. absque inscriptione Enumeratio eorum, quae Regi seculari in Clerum suum competunt mortaliter peccantem. Primum statuitur: *cum plena executione sue potestatis regalis laborare, ut clerici sui seruent veram pacem* &c. Initium: *Discipulus quidam venerabilis doctoris evangelici* &c. Nec istud Scriptum alibi reperi. Videtur tamen imperfectum.

V. fol. 193. Sermones mixti XXXVIII. in varios Evangeliorum et Epistolarum Textus, et primus quidem in illud: *Hora est jam nos de somno surgere. Rom. 13.* hoc ingressu: *Ecclesia facit hodie mencionem de aduentu christi* &c. Notari meretur Monitum manu coeva, sed alia, in fronte praescriptum: *Constet omnibus quod iste Wycleff Quadraginta (igitur ultimi duo desunt) sermones istos scribens fuit alius a se ipso hic quam alibi, ut apparet legenti, Quia demptis paucissimis pene in omnibus hijs scriptis sequitur ecclesiam in fide et ritibus et modo loquendi katholico.* Itaque nondum plene tunc illuminatus fuerit, id, quod et de *Luthero* deinceps dictum meminimus.

1491

## C O D I C E S

1492

Codicem ambit Membrana continens inhibitionem et citationem factam a *Nicolao Ep. Ferrentino S. Palat. Apost. caussarum Auditore*, impetrante *Joanne Ep. Luthomisl. ad Ecclesiam Pragens. capitulariter postulato*, aduersus *Sbinconem*, qui se gerit pro *Archiepiscopo Prag.* et datam *Romae apud S. Petrum anno 1404. indiēt. 12. die Ven. 16. m. Maji, Pontificatus Bonifacii IX. anno 15.* Cum nominibus Testium et Notarii *Conradi de Helderunge*, lectamque *Pragae die 9. m. Julii.* Item cum nominibus Testium et Notarii *Matthiae quondam Duchonis de Sladna.* De qua Lite apud Scriptores *Bobemos*, quos quidem volvi, nihil inveni.

## CCCCI.

882 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. f. per duas columnas probe descriptus, et rubricis enotatus Exemplar est alterum *Sermonum Johannis Wiclefi de Sanctis*, ita decurrens, ut illud *Cod. praeced.* initio ducto a *Natali Domini* in illud: *Exiit edictum a cesare Augusto &c. Lucae 2.* et Sermone auspicante: *Continuando sermones sanctorum cum sermonibus dominicis &c.* Ad calcem legitur: *Expliciunt euangelia de sanctis*, et continenter *fol. 142. p. 2.* adjunguntur, ut *Cod. cit. XXIV.* illi *Sermones* mixti, quorum primus in illud: *Caro mea vere est cibus &c. Job. 16.* incipit: *Hoc euangelium aludit fundacioni sanctissimi sacra-*

*menti eukaristie &c.* Nullibi Auctoris nomen.

Duobus locis Codicis occurrit *Μονογαμμα* e literis *H. G. P.* implexum liquore purpureo, cui additur: *Vidi 1530.* Thecae item posticae mandatum est *Απογραφον* Testimonii, quo *Hinco* (*Henricus*) dictus *Berka de Duba Purgrauus Pragensis et Hinco senior filius ipsius* recognoscunt: *Johannem Portulanum Portae superioris castri Pragensis*, quod uocatur in *Hradczanie*, sanum mente et corpore *Portulaniam suam cum omnibus Juribus, Pertinencijs ac utilitatibus suis rite et rationabili vendicionis titulo vendidisse Andreae genero suo pro certa summa pecunie.* Id, quod ratum habent et confirmant. *Datum prage anno domini M. CCCXLVII. in octaua festi Ephisanie domini.* En *Portulani* nomen non solum a *Portu*, aut *Portando* derivari, ut *Cangio* et *Carpentario* visum, sed etiam a *Porta*, unde *Portulanus* idem, quod modernis linguis *Pfortner*, *Portiere*, *Portier*, *Porter*, et eadem formatione, qua *Castellanus*.

## CCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 904 XV. Folior. 236. 4. non una manu conscriptus, rubricis distinctus et ad *Bobemiam* pertinens haec complectitur: *I. Job. Wiclefi Dialogum*, qui infit: *Cum idemptitas sit mater fastidij &c.* ut saepe alias. Ad calcem aperte: *Explicit*